



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 141. Urbs a Scanderbego obsidione liberata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

exercitum tamen suum nondum ab urbe Sæcul. XV.  
revocavit. A.C. 1465.

## §. CXLI.

*Urbs a Scanderbego obsidione  
liberata.*

Scanderbegus in angustias redactus, Principum Christianorum suppetias implorat, Romamque ipse petit; inde reversus, multisque muneribus, ac pecuniis auctus, Crojam diuturna obsidione pressam vicinorum suorum auxiliis adjutus liberat. Ceterum Papa datis literis ineunte Mense Julio omnibus Christiani Orbis Principibus notum esse voluit, Scanderbegum fugere compulsam, totoque Principatu suo a Turcis fuisse exutum, proin Religionem Christianam in extremo discrimine luctari, ac Mahometem omnia quæque ferro & flamma devastare scribebat. Cum vero de ejusmodi clade altum sit apud Historicos silentium, conjectura (\*) est, Papam eo fine

(\*) *Injuriosa est summi Pontificis integritati ejusmodi conjectura, æquius inde conjicimus, quod multa desint in vitæ Scanderbegi commentariis, quæ ipse adversa tulit: cum enim historici in laudem ejus nimium effusi probentur, quæ ipsius gloriam minuere putabant, perperam omiserunt.*



Sæcul. XV. A.C 1465. fine talia rescripsisse, ut Principes Christianos ad auxilia adversus Turcas ferenda literis, ac proprio suo exemplo incitaret; ipse enim quotannis centum aureorum millia Hungaris, totidemque Scanderbego subministrabat.

## §. CXLII.

*Alphonsus a Castellanis exaudtorato Regi subrogatus.*

*Marian hist. Hisp l 23. c 9 Papiens. epist. 122.* Interea Archiepiscopus Toletanus, qui rebellium Castellanorum partes sectabatur, Abulam contendit; ubi factiosi communi omnium consensu rem aggressi sunt æque ridiculam, ac temerariam. Quippe extra Abulæ mænia in quodam patenti campo amplum exstruunt theatrum, pretiosis aulæis prætextum; demum throno ad id recens erecto imponunt Henrici Castellæ Regis statuam regali chlamyde vestitam, quæ dextera sceptrum, in capite coronam gestabat, ceterisque omnibus Regiæ Majestatis insignibus ornata erat. Huic nefando spectaculo aderant Regni Proceres, & innumera ferme confluentis populi frequentia. Tandem alta præconis voce sententia a rebellibus in Henricum legitimum eorum Regem lata proclamatur, & prolixius cunctæ ejusdem injustitiæ, violentiæ, ac crimina recensentur, quibus eorum